



Bernharius diligenti literarū studio adeò profecit, ut uiris doctissimis sui seculi annumeratus fuerit. Huic eruditioni etiā uitæ integritatem, atque in rebus agendis dexteritatem coniunxerat. Itaque cum Archiepiscopatus Vuormatiensis Geruiliij scelere sub rege Pipino Moguntiam translatus esset, atque Carolus Magnus ob huius loci celebritatem alium ibi Episcopatum fundaret, hunc Bernharium circa annum septingentesimum octuagesimum, primum eius Ecclesiæ præfulem constituit, atque ipsum nouis redditibus & priuilegijs exornauit. Hunc Bernharium Carolus cum Abbate Adelhaimo ob res grauissimas expediendas ad Leonem tertium Romanum Pontificem misit, circa annum Christi septingentesimum nonagesimum octauum, qui cum optimè sua legatione functus esset, magnam apud Carolum Imperatorem gratiam inijt, ita ut ipsum & eius Ecclesiam singulari amore prosequeretur. Itaque Bernharius eam Ecclesiam administrandam suscipiens, magna pietate & diligentia omnia peregit, atque priorum Antistitum negligentiam sua uigilantia & assiduitate egregiè resarciuit, ita ut ab omnibus eius loci incolis instar patris ueneraretur. Cum hoc modo per uiginti tres annos magna prudentia suam Ecclesiam ordinasset, tandem circa annum Domini 803 moriēs, magno omnium luctu in monte S. Andreæ sepultus fuit. Vt autem eius successores intelligamus, eos ordine pro uirili subijciemus.